DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
FUNGO MEDULLARI

QUAM

CONSENSU
INCLYTI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI ET
VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO

SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XIX. APRILIS MDCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS KERCKSIG
HAGENSI GUESTPHALUS.

HALAE, TYPIS BAENTSCHIANIS.

PATRI OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO

FRID. DEGENH. KERCKSIG

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE

AD

CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Gradum doctorallem impetraturi cum dissertationem conscribant inauguralem, necesse sit, mihi quoque huncce aspiranti, inaugurale eruditionis specimen publico examini submittendum est; cumque anno praecedente duo fungi medulearis casus notatu digni nobis sese praebuissent, quos quidem post mortem demum personarum, eo laborantium vidi, de fungo scribere decrevi meduleari. — Ceterum quorum quum historias cum brevi enarram fungi medullaris adumbratione, morborumque, quos cum eo commutarunt, minus ex votis meis, quam necessitate extorsum, huncce in lucem prodire libellum, lectores perpendeant, quaeso benevolos. —

§. 1.

Morbi denominationes.

Hic morbus a John Burus [1]), qui primus accurate eum descripsit, ob indolem ejus fungosam, inflammationis fungosae nomine impositus est. —

1) Dissertation on inflammation. 1800.

Non longe postea Hey [2]) plures casus hujuscemodi in extremitatibus atque mammis descripsit fungi haematodis nomine, propter excrescentiam fungosam, rubram, atque sanguinolentam, post tumoris rupturam manifestam. — Quod nomen et Wardrop [3]), Langstaff[4]), Meckel [5]), pluresque alii servabant scriptores. — Abernethy [6]) vero tumorem appellabat sarcoma medullare. — Laennec [7]), Breschet [8]) et C. Bell [9]) in descriptione morbi usi sunt nominibus: encephaloide, carcinoma, et carcinoma molle. (sost. cancer.) — Boyer [10]) fungi haematodis nomine insignivit trichocirsas, una vero et Anglorum fungum haematodem, ita et plures alii scriptores gallici. — Huncce ut evitaret errorem Maunoir [11]) fungi haematodis nomen in trichocirsas tantum adhibuit, fungumque haematodem Anglorum fungum appellavit medullarem; nomen nunc forsan usitatissimum aptissimumque. —

---

2) Chirurgische Hand-Bibliothek, eine auserlesene Sammlung der besten neuen chirurgischen Schriften des Auslandes. Bd. V.

3) Beobachtungen über den fungus haematodes, übersetzt von Kühn. Leipz. 1817.

4) Medico-chirurgicae transactions. Vol. 8.

5) Pathologische Anatomie. Bd. II.

6) Surgicae observations etc. 1814.

7) Dictionaire des sciences medicales. Art. Encephaloide.

8) Ebendaselbst. — Art. Hematode.

9) Surgical observations, by Ch. Bell. Part. IV.

10) Chirurgische Krankheiten, übersetzt von Textor. Bd. II.

11) Abhandlung über den Mark- und Blut-Schwamm. Aus dem Franz. Frankfurt 1820.

§. 2.

Descriptio morbi secundum organa, in quibus obvenit.

Omnes, sicut videtur, corporis partes hoc morbo affici possunt, quamquam aliae minus, aliae magis ei subjectae sint. — Plerumque quidem, non semper vero, in externis primario morbus oritur partibus. — Quod sicut et pluribus aliis casibus, quos quidem Maunoir cum veris fungi medullaris careant signis, dubios esse contendit, casibus probatur infra referendis, qui, cum omnia habent fungi medullaris signa characteristica, quamvis per totum morbi decursum in partibus externis massae fungosae apparuerint nullae, minime tamen argumento ejus refutantur. — Quum morbus tunc tantum, si in externis sedem habeat partibus oculis digitisque perscrutandus in vita certo cognoscatur, de fungo medullari in externis obveniente primum sit sermo.

Fungus medullaris sub integumentis communibus.

Sub integumentis communibus morbus saepissime in toto quidem obviam venit corpore, frequentius vero in extremitatibus, ac in capite, collo, truncoque. —

Sub cute haecce praebent phaenomena. — Initio tumor apparet parvus, circumscriptus, planus, laevis, mollis, aut duriusculus, sub integumentis communibus haud mutatis movendus. — Majorem si

assecutus est magnitudinem, mollior fit, magisque recellens (elasticus). —

Sensum nonnunquam movet fluctuationis, momentum saepe praebentis incisionibus. — Si crescendo corporis superficiei fit propior, venae evidentiores fiunt cutaneae; cutis regionis affectae fit tenuior, et decolor, tandemque rumpit; sanies nunc effluit cruenta, malum spargens odorem; destructa cute excrestentia mox oritur fungosa, celerrime crescens. — Forma ejus saepissime est rotunda, superficies inaequalis, aspera, habituque baccae fruticis-rubi idaei, vel brassicae botrytidis, haud absimilis; coagulo sanguinis saepe obducta, coloris est rubri, fusci; quumque perquam sit vasculosa, sanguinem emittit leviter jam tacta, quid? quod et sponte. — Collum tumoris tenuiusculum, nam in exulceratione cutis, sicut in abscessu, per totum ambitum aequaliter attenuata, atque fusce colorata non est, sed haec mutationes in loco fiunt exacte circumscripto, ita, ut excrescentia fungosa crascis aperturae cutis marginibus, ceteroquin haud mutatis, circumdata, prematur. — Magnitudinem cum assecuturus est satis magnam, partes praesertim eminentes marcidae factae decidunt atque sanies effluit, foetidissimum spargens odorem: interdum et sanguinis oriuntur effluxus satis magni. — Excrescentia fungosa loco cutis exulceratione destructo nata in tumoribus tantum primario effectis, minime in iis vero oriri videtur, quae secundario in

glandulis gignuntur lymphaticis. [12]) — Jam diu interdum tumor adesse potuit sine molestiis, tandem vero musculos premens, ac nervos, functiones istorum ocius serius laeduntur et oriuntur dolores, tumore praesertim permagna aut exulceratione jam exorta saepe vehementissimi ac lancinantes. — Glandulae vasorum lymphaticorum e partibus affectis originem ducentium, ocius serius intumescunt, ulceraque fiunt impura, male habita; plerumque vero aeger, priusquam cutis glandulam tegens, destructa est, moritur. — Praeterea morbus serius vel eodem tempore in aliis oritur organis remotis, nullis cum iis, quae jam antea affecta erant, conjunctis vasis lymphaticis. — Aegri nunc et dolores queruntur internos variasque functiones organorum internorum laesas. — Quibus sicut et repetitis sanguinis ichorisque fluxibus efficitur, ut magis magisque fiant debiles, faciei colorem induant gilvum, lividum, cutisque flavidum, quibus cum febris supervenerit hectica serius ocius moriuntur. —

§. 3.

S e c t i o.

Massa secundum plerosque est homogenea, coloris lactei, in locis quibusdam rubicundi, tela cellulosa tenui in lobulos majores minoresve divisa; in lamellas tenues secata subdiaphana est et consistentia

12) Wardrop. l. c. p. 18. —

et colore cerebro similis. — Saepissime vero minus cohaeret, friabilis est, digitisque facile conterenda: in superficie multa animadvertuntur vasa, sulcos intrantia, quorum rami ipsam penetrant substantiam; tunicae vasorum, saepe ne quidem animadvertendae, tenuissimae sunt, facileque divelluntur [13]). — Substantiae cerebri quoad consistentiam conferebant fungum medullarem et Wardrop, Maunoir, scriptoresque omnes ferme alii. — In cavis majoribus, in cavo e. g. abdominis sedem habens hasce praesertim affert qualitates [14]). —

Substantia ejus aëri diutius exposita, mutatur in pultem; cum aqua frigida facile commiscenda partim in ea solvitur; cocta in aqua, ac alcoholi, acidisve imposita, firmior fit, ac durior; parte molliore (aut parenchymate) aqua lauta ac expressa, partes remanent densiores, e substantia constantes cellulosa, quantitate et densitate quam maxime diversa [15]). — Analysi chemica eam constare ex albumine; materia pingui; osmazom; calce, magnesia, et kali phosphorico; sulphure atque phosphoro inventum est; ita, ut eam constitutentium quoque partium respectu cum substantia cerebri congruere appareat [16]). Substantia vero et in diversis casibus et locis et partibus ejus-

13) Laennec. l. c. p. 167.
14) Maunoir. l. c. p. 20.
15) Wardrop. l. c. p. 15.
16) Bartcky Dissert. inaug. de fung. medull. Halae 1819. p. 29.

dem tumoris est varia. — In seriore, si eam perscrutamur morbi periodo, aliae partes, quoad consistentiam sunt similes puri crasso, coloremque habent albidum vel rubicundum; aliae sanguine effuso et aucta jam vasorum evolutione, coloris sunt fusci habitumque prae se ferunt coaguli sanguinis. — Interdum et tota substantia tantopere sanguine est mixta, ut nulla fere cum substantia cerebri adsit similitudo; color ejus rubicundus est, vel ater, et quoad consistensiam pani nondum cocto, arido, paullulum friabili substantia est similis [17]. — Ita dixit et Wardrop [18]: tumore permagno partes aliae substantiae cerebri sunt similes, aliae obscure flavidae, aliae vitello ovi cocto similes, aliae profunde rubrae, ac coagulo sanguinis, aliae hepati similes; inter quae coagula fusca cava saepius inveniuntur sanguinem, serumque continentia. — Lawrence [19] in eodem aegro tumores quosdam invenit molles, albidos, cerebri similes substantiae, coaguloque mixtor sanguinis, alios cinereos vel obscure griseos, alios fuscos. —

Interdum, praesertim vero, si sedes morbi est oculis testibusve, ossa in ea inveniuntur, cartilaginesque [20].

Tota massa integumento saepissime circumdatur

---

17) Laennec. l. c.

18) Wandrop l. c. p. 100.

19) Lawrence Medico - chirurgicale transactions. Vol. III.

20) Wardrop l. c. p. 14 et 119.

celluloso secundum organorum, quoad telae eorum cellulosae differentiam, vel laxiore vel firmiore; et ita quidem, ut fines ejus plerumque exacte sint distincti; tumore vero majore partes circumdantes inter se separantur et si morbi sedes in extremitatibus est, musculi saepius inveniuntur massa circumdati morbosa. — Forma tumoris saepissime est rotunda, ovalis, vel inaequalis, superficiesque sulcis magis minusre profundis in lobulos divisa. —

Interdum massa in propriis inveniebatur folliculis, quorum parietes diversae fuerunt crassitudinis; raro vero lineae dimidiam excesserunt; color eorum fuit griseus, vel argenteus, saepius subdiaphanae erant, cartilaginosae vel fibrosae, substantiaque medullaris iis inerat facile separanda.

§. 4.

Fungus oculi.

Si morbus oculum, ut fieri solet in infantibus, adgressus est, tam occulte incedit, ut saepe priusquam parentes eum animadverterint, coeci sint facti. — Rubor conjunctivae exiguus aucta vasorum evolutione iridisque decoloratio, pupilla dilatata atque immobilis prima saepe sunt symptomata. — Interdum exiguam morbus sequitur inflammationem traumaticam. Ita oritur et in adultis, qui vero jam initio visus queruntur hebetudinem. — Pupilla dilatata atque immobilis atro suo nunc caret colore, ac in postica oculi regione, in regione retinae aliquid, spe-

ciem laminae argenteae concavae prae se ferens, animadvertitur, cujus color postea fit obscure flavus, griseus vel viridescens, quodque originem ducere e massa firma, inaequali, lymphae coagulabili haud absimili, quam rami perreptant arteriae centralis retinae, animadverti potest. — Massa, quum posticam oculi cameram impleverit, flavum vel brunneum induit colorem et ita cum cataracta nonnunquam commutabatur [21]); tandemque dolorum, praesertim noctu, aucta vehementia, in cameram penetrat anteriorem liquore flavido saepissime impletam. — Bulbus fit tuberosus, sclerotica livida aut obscure caerulea. — Tumoris pressione cornea fit opaca, tenuis, exulceratur; — excrescentia fungosa apparet, quae interdum non per corneam, sed per scleroticam externa petit, conjunctivam bulbi prae se agens, quare superficiem acquirit planam mucosamque. — Ceterum hic fungus idem est, ac iste, quem antea descripsimus, glandulae enim lymphaticae in regione parotidis, maxillaeque inferioris quam maxime tumescunt ac interna etiam corripiuntur organa, eodemque modo decursum habet. —

§. 5.

S e c t i o.

In sectione non solum partes in bulbo, sed etiam nervus opticus sicut nonnullae cerebri partes inve-

---

21) Wardrop. l. c. p. 10.

niuntur destructae. — Corruptio in eo loco, praesertim quo nervus opticus penetrat oculum, ducere originem inventa est. — Retina in omnibus fere casibus destructa erat, quam semel tantum corpore vitreo jam in massam albidam mutato sanam invenit Wardrop [22]). Corporis vitrei, humoris aquei nulla saepius fere aderant vestigia; chorioidea plerumque rubicundior erat et crassior, ante tumorem plerumque sita, saepius vero salva locum suum tenuit; scleroticae structura plerumque haud mutata fuit, quamquam massa morbosa saepius cum ea cohaerebat et interdum ab ea originem ducere videbatur [23]). — Haec massa eadem fere est, ac ea, quae in aliis organis et in tela cellulosa sub cute invenitur. — Ita et nervus opticus saepius crassior erat, durior, colore cinereo-brunneo, ac structura orbatus tubuliformi, a massa morbosa in plures saepius partes divisus; mox neurolemma tantum, mox substantia sola nervi pulposa, mox ambo inveniebantur corrupta. — Destructio ejus ad illum usque plerumque sese extendit locum, quo nervi optici uniuntur. — In multis vero casibus cerebrum thalamusque praesertim nervorum opticorum in substantiam mollem pulposamque mutata inveniebantur et morbosae affectionis vestigia aliquando et in tunicis animadvertebantur cerebri. — Nervus si morbosus erat, semper quoque erat retina

---

22) Wardrop. l. c. p. 55.

23) Weller's Augenkrankheiten. p. 399.

morbosa, minime vero vice versa; quare morbi semper in oculo esse initium, ratiocinatur Wardrop. — Attamen Travers lobulum cerebri anteriorem dextrum in massam semel mutatam invenit pulposam, quo factum erat, ut oculus ceterum sanus ex orbita esset detrusus [24]). — Ita hunc morbum descripserunt Wardrop, Scarpa, Saunders, Ware, omnesque fere alii scriptores; attamen originem, decursumque fungi in fundo oculi, quum cornea inflammatione saepe correpta chronica opaca fiat, luculenter observari semper non posse, commemorat Maunoir [25]). — Ceterum secundum eundem morbus semper quoque oritur in fundo oculi, quum cancer et fungus haemotodes (Telangiectasia) initio semper oriantur externe, oculus quamvis totus morbo correptus sit. — Ab hoc vero prorsus differunt, quae Travers ac Walther dicunt. — Secundum illum fungus, lente exceptis corneaque, in quavis oculi parte originem ducere potest, cum cancer primario glandulam tantum lacrimalem, conjunctivam atque palpebras adgrediatur. — Ita et Walther, morbum in externis oculi partibus frequentius quam in internis obviam venire, eumque, si in internis oculi adsit, in tunica vasculosa ducere originem existimat. —

---

24) Samuel Cooper. Bd. IV.

25) Maunoir l. c. p. 25.

§. 6.

Fungus medullaris testium.

Baillie, qui primus eum descripsit, testis pulposi (pulpit testicle), Callisen et Scarpa strumae fungosae testiculi nomine eum insignierunt. — Saepius morbus oritur in testiculo, ac in epididymide; testiculi sine doloribus tumefiunt, epididymis a testiculo sine difficultate discerni non potest. — Testiculi forma manet normalis, laevis est, ovali-rotunda, sine duritie; ita et scrotum haud mutatum. — Dolores plerumque non sunt vehementes, parum molestiae facientes; ultimo vero stadio interdum praecipue post coenam, in regione lumbali fortiores fiunt. — Tumor, si majorem assequutus est magnitudinem, mollis est, atque recellens, quumque sensationem praebeat fluctuationi simillimam, saepius cum hydrocele commutatus atque incisus est [26]. — Hoc modo autem ab eo distingui potest: in hydrocele aqua semper in fundo scroti accumulatur et tumore nondum permagno testiculus in latere postico sentiri potest; fungus vero in ipso oritur testiculo ac epididymide et glandula ipsa sensim sensimque major fit; tumor in hydrocele in annuli regione exacte circumscriptus est; in fungo totus tumescit testiculus, nec non funiculus spermaticus, ideoque tumor sursum ascendit. — In fungo tumor semper opacus est, in hydrocele interdum,

26) Wardrop l. c. p. 115.

dum, sed non in omnibus casibus. — Praeterea fungus medullaris hydroceli magnitudine par, pondere eam superat; — interdum et hydrocele et fungus medullaris una inveniuntur in testiculo [27]).

Postea vero aliae regiones durae fiunt, molles aliae, rumpi videntur; cutis fit decolor, brunnea et rubicunda, glandulae tumefiunt inguinales, unius lateris vel utriusque; sicut et in abdomine in decursu vasorum majorum immensi saepe oriuntur tumores;— scrotum vero, mors cum saepissime jam antea sequitur exinantione universali producta, raro rumpitur. —

In sectione albuginea cum tunica vaginali propria concreta invenitur vel inter ambos liquor quidam; in uno casu excrescentiam fungosam in pulpa testium, duas fabas magnitudine aequante, ortam sursum tollere albugineam, inventum est. — Testiculus ipse quam plurime in massam brunneam, rubicundam, medullae similem vel e partibus constructam diversae indolis, cartilaginibusque et fragmentis osseis mixtam mutatus est; — in funiculo, et in ipso, dummodo viveret aeger, tumefacto, raro mutationes inventae sunt morbosae. —

§. 7.

Fungus medullaris ossium.

Morbus hic symptomata profert eadem decursumque eumdem, quam in partibus mollibus. —

---

27) Samuel Cooper Bd. III. p. 238.

Quamvis in periosteo quoque externo quam plurimum tamen in tela medullari originem ducit. — Breschet [28]) morbum istum ab Andreas Bonn tumoris fungosi periostei nomine descriptum, in quo periosteum in massam mollem pulposamque mutatum est, huc accenset. — Ita multos telae medullaris morbos spinae ventosae nomine descriptos, in quibus parietes ossium massa in cavo medullari sese formante, sensimque tenuiores factae extendantur, ossaque ipsa in massam commutentur tenuem, cerebrique similem substantiae, hujus loci esse putat et Laennec. — Samuel Cooper [29]) morbum a Boyer nomine exostoseos cellularis descriptum, huc adnumerat. — Praecipue vero huc pertinet morbus iste ab A. Cooper exostoseos fungosae medullaris nomine descriptus. — Walther quoque casum refert hujuscemodi, cui hyperexostoseos telae medullaris fungosae imponit nomen. —

Hic textura ossis naturalis penitus mutata est; nullum saepe aliud ejusdem adest vestigium, quam fragmenta quaedam ossium in tumore locum habentia, vel tenue ossium stratum in superficie; partim penitus resorptum tumoremque circumdans, sicut reticulum. — Tumor ipse e diversis constructus est partibus, e quibus alia saepe similis est adipi flavido, alia substantiae cerebri, alia, quae in interstitiis con-

28) L. c. p. 666.

29) L. c. Bd. IV. p. 397.

tinct serum, sanguinis coagulo; aliae partes albae sunt ac cartilagineae, plurimae vero molles ac fungosae. —

§. 8.

Fungus mammarum.

Wardrop et Hey casus hujuscemodi descripserunt, qui vero communem fungi structuram non habent et quam plurime quoque in mulieribus obveniebantur, mediam aetatem transgressis. — Attamen fungorum e cicatrice orientium causa et quoniam fungi textura secundum organa affecta perquam est dissimilis, huc adnumerandi esse videntur; praesertim quum ne minimam quidem cum cancro habeant similitudinem. — Tumoribus hisce persimiles etiam Dzondi aliquoties invenit. [30]). — Ita et Meckel mammam saepius praegrandem totamque partemve ejus in massam mollem, homogeneam, in locis quibusdam griseam, in aliis rubicundam, brunneamve, pluribus dissepimentis in lobulos inaequales divisam, fungique structurae vulgari similiorem, quam in casibus supra memoratis, mutatam invenit [31]). — Maunoir [32]) etiam casum commemorat hujuscemodi, ipse vero, an vere fungis adnumerari possit, quum operatio fausto gauderet successu, dubitat. —

30) Bartky l. c. p. 31.
31) L. c. p. 317.
32) L. c. p. 62.

§. 9.

In glandula quoque thyreoidea fungus medullaris interdum inventus est a Burns et Meckel [33]); hic et parotidem in massam fungosam aliquoties mutatam invenit. —

§. 10.

Fungus medullaris in organis internis.

Absoluta fungi in externis partibus historia, in internis obviam veniens, nunquam vero cum certitudine cognoscendus, considerationi nobis sese praebet, inter quas ceteris hepar saepius laborat. —

Saepius nempe in hepate tumores pulposi massaeque cerebri plus minusve similes, contextuque celluloso fibrosove intertexti inveniuntur, coloris albidi, brunnei, vel rubicundi, formaeque variae, saepissime tamen ovalis aut rotunda. — Saepissime eoque magis, quo magis increscunt, superficiei sunt propinqui, in qua tumores tandem formantur eminentes, cutem hepar ambientem, tenuem postremo destruentes, quo fit, ut excrescentia fungosa evolvatur in cavo abdominis. — Interdum vero tumor a superficie hepatis in substantiam penetrat atque cava in eo format, massa fungosa expleta. — Numerus eorum variat, plerumque pauci tantum adsunt. — Attamen Laennec totum iis hepar invenit impletum,

33) L. c. p. 323.

ita, ut duplici gauderet magnitudine. — Tumores semper fere, et tumo etiam, quum capsula non ambiuntur, circumscripti sunt [34]). — Praeter tubercula ista a Baillie descripta atque a Wardrop huc accessita, mollia, brunnea, e massa gelatinosa constantia; nucem juglandis magnitudinem aequantia ac saepissime in superficie sedem habentia, casus quoque a Farre, Laennec, ac Langstaff memorati huc pertinent, cum superioribus congruentes, quamvis capsula tenui, cellulosa quam saepissime circumdati. — Langstaff quoque casum refert, in quo morbus in hepate exortus erat, qui in nulla alia sese parte monstraverat; ipse autem dubitat, an huc adnumerari possit. —

Lien perraro sedes est hujus morbi. — Attamen Wardrop [35]) casum refert, in quo lien tumoribus obsessus erat, albis, pulposis, substantiae cerebri similibus, cum ejus substantia ita conjunctis, ut separari non posset, magnitudinisque fructus hypocastani, quibus tanto gradu auctus erat lien, ut duas libras aequaret pondere cum dimidia. — Una et aliis corporis partibus alii erant tumores fungosi. — Meckel [36]) quoque plures ejusdem modi observavit casus; in uno tunica peritonaei destructa excrescentiaque fungosa vulgaris exorta erat. —

---

34) Wardorp l. c. p. 137.

35) L. c. p. 153.

36) L. c. p. 321.

Rarius adhuc in renibus morbus obviam esse videtur. —

Casum a Burns observatum Wardrop [37]) descripsit delineavitque. — Ren erat auctus, tumoribusque instructus tribus, cinero-albidis, rubicundo-maculatis, molliusculis, aequaliter formatis, a substantia sana separatis quidem, sed non capsulis circumdatis. — Una et in regione inguinis fungus medullaris ortus erat. —

In ovariis, degenerationibus tantopere subjectis, fungus medullaris est rarissimus. — Attamen casum Wardrop [38]) descripsit delineavitque. — Ovarium perquam auctum erat, cujus superficies glabra quidem, sed non aequalis. — Tumor e variis compositus erat lobulis, capsulis cellulosis a sese separatis, partes aliae substantiae cerebri similes erant, aliae firmiores, vasculosae, in aliis loca erant inter lobulos sanguine impleta. — Baillie quoque, Burns et Meckel [39]) morbum hic observabant; secundum hunc vero saepe cum aliis desorganisationibus. —

Inter degenerationes uteri, quas antea cancrosas putaverunt, plures huc esse accensendae videntur. — Frequenter nempe uterus, vesica urinaria, vagina intestinumque rectum destructa, atque in massam morbosam mutata inveniuntur, partim e substantia

---

37) L. c. p. 159.

38) L. c. p. 163.

39) L. c. p. 315.

fibrosa constantem ac lardo simili, partim e molli cinereo-albida, pulposa, in aliis locis coagulo sanguinis mixta, massae cerebri emollitae magis minusve simili, e qua in locis quibusdam excrescentiae oriuntur fungosae [40]). Ita contextum uteri massa saepius impleri cerebro simili imo prorsus in eam mutari, dicit et Laennec. — Huc etiam adnumerandus est casus, a Burns relatus atque a Wardrop [41]) descriptus et delineatus. — Hic e fundo uteri excrescentia fungosa, rubra, mollis, in cavum abdominis penetrabat. — Meckel huc quoque polypos malignos, facile sanguinem emittentes atque ligatura remotos facile iterum apparentes numerat. —

Ceterum symptomata formationem decursumque fungi medullaris comitantia iis carcinomatis scirrhosi sunt similia, sed plerumque celerrime sese sequuntur. —

Meckel prostatam aliquoties invenit praegrandem, in substantiam mutatam albidam, brunneam, mollem, lobulis cellulosis divisam, quam fungis quoque censet esse adnumerandam. —

Tubercula pulmonum a Baillie descripta atque a Wardrop [42]) huc accessita, mollia erant, brunnea, capsulis non insita; baccae grossulariae magnitudinis quam maxime pulmonum superficiei inhaerebant;

---

40) Breschet l. c.

41) L. c. p. 161.

42) L. c. p. 161.

quae vero a Laennec [43]) descripta sunt, capsulis erant inclusa. — Langstaff [44]) quoque casus quosdam hujusce modi commemorat; in uno eorum, in quo fungus insitus erat pulmoni sinistro, cavum thoracis sanguine massaque substantiae cerebrali persimili impletum erat, ita, ut cor visceraque abdominalia e situ essent amota. — Dextro quoque tumores pulmoni plures diversae magnitudinis inter parenchyma et pleuram, quae aliis in locis jam destructa erat, inhaerebant. —

Bartky enarrat casum, ubi in anteriore superficie cordis, quo loco arteria aorta et pulmonalis egrediuntur, inter exteriorem earum tunicam et membranam pericardii, quae ibi replicatur, tumor quatuor pollices longus et tres latus e massa substantiae cerebri simili constructus, inveniebatur, membranae fibrosae adhaerens, serosam autem prae se agens. —

Laennec [45]) ac Meckel [46]) multos fungos durae matris veros esse medullares, quamquam plurimi, cum textura constent plerumque fibrosa vel fibroso-cartilaginea, hujus loci non sint, existimant. — Laennec casum a Pavio memoratum commemorat, qui in sectione infantis trium annorum tumorem invenit inter orbitam et duram matrem, qui e substantia cerebro simili et sanguinis coagulo mixta, constans atque

---

43) L. c. p. 171.
44) Auserlesene Abhandlung für prakt. Aerzte. Bd. 52. S. 198.
45) L. c. p. 173.
46) L. c. p. 323.

textura cellulosa circumdatus, oculum sinistrum e orbita amoverat. — Ita et Wardrop [47]) tumorem graudem, vasis tenuibus cum dura matre cohaerentem enarrat. — Albus erat, forma inaequali, in superficie cartilagineus, inferius autem gelatinosus, pure candidior et crassior. — Una pars ejusdem septima post exstirpationem bulbi oculi hebdomade orbitam intraverat, alia serius in sinistro narium cavo apparens firmo narium polypo similis erat. — In alio casu [48]) duas maculas in periosteo invenit externo, coloris saturate rubri, tactu aspere inaequaliterque sentiendas; duasque alias in externa durae matris superficie antecedentibus similes. — Quae e subtsantia formabantur furgosa supra durae matris superficiem eminentes, lympho esse videbantur organica; quare verisimillimum esse videtur, morbum diutius si perseverasset, hic quoque fungus factum fuisse medullarem cujus primus originis gradus hicce adfuisse ratiocinari potest, quum et alius una adesset fungus jam evolutus. —

§. 11.

Diagnosis ac differentiae.

Fungus medullaris, quum tam multis quoad colorem consistentiam ac structuram obnoxius est mutationibus, individuorum partim diversitati, partim

47) L. c. p. 63.
48) L. c. p. 32.

vero morbi in variis organis sedi, partim quo tumores explorabantur periodo, vel causis aliis fortuitis, originem ducentibus; quondam quoque cum fungo similitudinem habet cum aliis morbis, re vera autem maxime ei dissimillibus: quumque auctores primum hunc morbum describentes, observationes suas casibus non comparaverunt ab aliis scriptoribus jam enarratis, factum est, quod fungus medullaris nominibus variis sit descriptus et propter nonnullas levesque mutationes alius creditus sit morbus, cumque aliis commutatus. — Quamquam vero fungus medullaris ab aliis formationibus pseudo-organicis distingendus est, tamen saepe tumores observantur, qui et ad fungum et ad alium morbum adnumerari possunt, quod in natura fines circumscripti, quibus morbosi proventus separantur, non adsunt. —

Morbus, quem antea malum esse cancrosum crediderunt, cancri mollis plerumque nomine insigniebatur. — Quorum morborum in eo constat similitudo, quod exulceratione orta in ambobus sanies secernatur, malum spargens odorem, quod in cancro quoque saepius excrescentiae sint fungosae, et quod ambo aequaliter sint deleterii; — quod in omnes sese dilatantes directiones, cum vehementibus saepe coniuncti sint sanguinis effluviis; quod in pluribus saepe una inveniantur organis exitumque habeant eundem perniciosum. — Attamen quoad plurima inter se differunt. — Scirrhus enim tumore constat duro, tuberoso, haud comprimendo, duobus diversae in-

dolis composito substantiis, quarum una dura est, ac fibrosa, alia mollior ac quoad habitum natura anorganica; pars fibrosa, alia pallidior, dissepimenta format magnitudinis variae ordinisque incerti, massa quibus inest mollis semipellucida, caerulea, saepe viridescens, albida et rubicunda. — Ceterum ambarum variat partium ratio pars fibrosa vero nucleum plerumque format, e quo dissepimenta originem ducunt, in omnes regiones sese extendentia, quaeque tumori secato formam praebent radiatam. — Exulceratio in tumore oritur cum doloribus vehementibus, pungentibus, ardentibus; plerumque a partibus internis extrorsum, interdum et ab externis introrsum sese extendit; una sanies effluit, foetidissimum spargens odorem. — Ex ulcere fungus saepius oritur, texturae plerumque durae firmaeque, qui, morbo sese extendente, sicut et ambientia, cujusvis sint texturae, scirrhosam antea prae se ferentia indolem, destruuntur. — Interdum et ulcera carcinomatosa in breve tempus sana fieri videntur, margines obducuntur, cuticula tenui ac cicatrice fallaci. —

Fungus vero medullaris, tumorem refert mollem, recellentem, in tactu sensum moventem fluctuationis. — Massa constat molli, pulposa, massae cerebri simili, cum aqua facile miscenda partimque solvenda. —

Tumor exulcerans non minuitur, fungus augetur, tumorque latus magis magisque crescit, partes

ambientes a sese separat, in ipsam vero suam substantiam, pressione tumoris amotas, haud mutat. —

Praeterea fungus plerumque in annis obviam adest prioribus, cancer vero in senioribus; ille et invenitur in partibus scirrho vel cancro nunquam affectis, sicut in hepate, liene etc. [49] [50] —

Interdum fungus etiam confundebatur cum tumoribus scorphulosis. — Attamen in morbo scrophuloso semper adest scrophulosa corporis diathesis, quam frequenter quidem adesse constat in fungo, semper vero adesse non opus est. — Tumores scrophulosi e massa constant friabili, caseosa, cretacea; fungus vero tumorem refert mollem, recellentem, pulposum, cerebri substantiae similem. — Illi mutantur in liquorem puriformem, nunquam vero excrescentia oritur fungosa, nunquam, sicut in fungo medullari, mali odoris, ichurosique liquoris effluvium. — Praeterea fungus medullaris vim habet in corpus perniciosiorem, celeriusque agrotum extinguit, quam morbus scrophulosus [51]. —

Telangiectasia, Aneurisma per anastomosin, fungus haematodes (Maunoir) interdum format tumorem, quoad habitum externum, praesertim si sedes ejus in tela cellulosa sub cute, summam habentem cum fungo medullari similitudinem, quoad essentiam

49) Wardrop l. c. p. 170—78.

50) Maunoir l. c. p. 32.

51) Wardrop l. c. p. 169.

vero quam maxime ab eo differentem. — Telangiectasiae, quam saepissime, semper vero minime, congenitae sunt, fungus medullaris nunquam. — Illa comprimi possunt, interdum in iis pulsatio quoque sentienda est, vel tremor arteriosus, quod in hoc aliter se habet. — Aneurisma per anastomasin semper in cute vel in tela cellulosa externa sedem habet, fungus etiam in internis quoque organis. — Hic constat e substantia supra jam descripta, variae quidem indolis, plerumque vero pulposa, cerebrique massae simili; — fungus haematodes vero tumor est e vasis constans capillaribus dilatatis, quae tela conjuncta sunt cellulosa, laxa, cujus cellulae sanguine saepe sunt impletae. — Fungus haematodes morbus est localis, fungus medullaris est malum constitutioni semper inhaerens; ille arte dimoveri, hic nullis sanari potest medicamentis, ac externe oppressus in internis prorumpit organis. — Fungo haemotode quoque rupto ac validiore parenchymatis evolutine et coagulo sanguinis excrescentia formata fungosa, qua in re partem tumoris non iujiciendam mutationem subire dynamicam, qualitativamque, immo sub certis conditionibus in fungum medullarem mutandam, condendit Walther [52]); semper tamen, ut mihi videtur, malum manet locale. — Si vero in parte aliqua corporis aegroti fungo haematode jam laborantis, fungus

52) Im Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von Graefe und Walther. Band 5. Heft 2.

medullaris exoritur, dispositio fungosa si non adesset, fieri non potest, ita, ut fungus medullaris nullo modo e telangiectasia oriatur, sed sponte evolvatur, cujus evolutioni forsan irritatio telangiectasiae faveat, praesertim, si jam cutis exulcerata est. —

Melanosis Meckelio aliisque varitatio tantum esse videtur fungi medullaris, quoniam hic saepe quoque ater, brunneusve, pulpaeque atrae similis; nihilominus quoad essentiam inter sese differre videntur. — Melanosis nempe, sicut nuper Heusinger [53]) exposuit, morbosa tantum est pigmenti secretio, quod in parenchymate organi, praesertim in tela cellulosa, vel in membranis mucosis aut serosis secretum, vel circa vasa est situm, ac nullum organicae structurae vestigium, nec vasa, nec nervos, nec telam cellulosam habet. — Si vero in tela cellulosa massa major est accumalata, tumores formantur brunnei, atri, haud organici, ribium baccis similes, magnitudinis variae, posteaque interdum in exulcerationem transeuntes. — Interdum vero melanosis cum fungo medullari est conjuncta; praecipueque fungum medullarem circumdat [54]). — Huc quoque, casus a Wardrop enarratus adnumerari posse mihi videtur [55]).

---

53) Heusinger, Untersuchungen über die anomale Kohlen u. Pigmentbildung im menschlichen Körper. Eisenach 1823.

54) Heusinger. l. c. p. 101.

55) Wardrop. l. c. p. 15 u. 16.

Sacroma tuberbulatum a fungo medullari non differre contendit Meckel. — Agglomeratione constat tumorum firmorum, rotundiusculorum, magnitudinis variae colorisque, qui in glandulis tantum lymphaticis colli maligna ulcera formant, semperque mortem secum ferunt; cancro similius esse videtur sarcoma tuberculatum, quam fungo. — Walther formationem quoque huc accenset glandulis similem mammarum ac pancreatis. — Illa vero cancro propinquior esse videtur, haec a cancro fungoque eo differt, quod in alias non facile sese diffundat partes, amotaque iterum non appareat. —

Polypi vero a Meckel huc accessiti, secundum omnium opinionem hujus loci non sunt. —

Fungus haematodes, quem Walther descripsit, non congenitus ac Telangiectasiae originem non debens, omni quoad essentiam modo cum fungo medullari congruit; in utroque enim origo, decursus, symptomata, prognosis, omniumque inefficatia remediorum sunt eadem; uterque est morbus universalis, telaque constat cellulosa ac vasis partim elongatis, partim recens ortis, massaque parenchymatosa, sanguinis secretione formata, quae vero (massa parenchymatosa) in fungo medullari est albida, albuminosa, cerebrique similis substantiae; in fungo haematode massa potius rubra, cruoris praebens indolem. — Ambarum vero quum tantopere variat in tumoribus ratio massarum, huncce fungum haematodem speciem esse fungi medullaris vix dici potest. —

A. Burns [56]) et Abernethy fungum medullarem et sarcoma medullare inter se differre putant. — Secundum illum fungus medullaris e substantia constat, cerebri massae simili, in textu firmo contenta cellulas formante, qui, lotionibus ista expulsa, restat. — Sarcoma contra medullare e substantia molli, folliculo laxe insita, quae, si lotionibus expellitur, hic villis interne obsitus restat. — Quae si respiciuntur, tota firmitati diversae, partiumque, quae cellulas formant, ambitui inhaeret differentia. — Secundum Abernethy [57]) inter fungum haecce intersunt ac sarcoma medullare. — In hoc, ruptis partibus, tumor exulcератur ac sanatur, tum vero alius cutem perrumpit; in isto vero semper crescit, neque exulceratione minuitur, neque sanatur. — Quae vero differentia mihi non essentialis esse videtur, nam casus, quem a sese observatum commemorat, fuit fungus testium medullaris, in quo scrotum integrum, glandulae inguinales secundario affectae exulceratae erant, quarum nonnullae sanabantur; nunc autem satis constat, partibus secundario affectis raro excrescentiam fungosam nasci, sed ulcera formari, quae interdum sanantur. —

Breschet [58]), qui carcinomatis nomine descripsit fun-

56) Bemerkungen über die chirurgische Anatomie des Kopfes u. Halses. — Aus dem Englischen von Dohlfoff. Halle 1821.

57) Samuel Cooper. l. c. Bd. III. S. 235.

58) L. c. —

fungum, eumque scirrhi cancrique, quorum una saepius adsit, esse variationem contendens, quatuor statuit species: I. *Carcinome encéphaloide*, ou cerébriforme, usitatissimum e massa cerebri substantiae simili constans; II. *Carcinome mélané*, brunneum vel rubicundum proferens habitum, quoad cetera anteriori simile; III. *Carcinome fungoïde*, fungosis notabilis est excrescentiis; salva cute eas obducente; sensum, quem efficit, fluctuationis privum habet; IV. *Carcinome haematode*, nominatur primum genus, si coagulo sanguinis simili massa mixtum est. — Sed omnes has differentias esse tantum fortuitas atque e diversis, quibus explorantur, morborum stadiis, pendere facile perspicitur. —

§. 12.
Aetiologia.

Aetiologia hujus morbi, quum nimis adhuc haereat in latebris, cum certitudine quadam multa de ea dici haud possunt. — Attamen aetatem infantilem maxime in eum esse pronam, fungumque oculi praesertim in infantibus frequenter obviam venire, docet experientia. — Inter personas viginti quatuor eo laborantes viginti erant infantes annum duodecimum nondum transgressi [59]). — Plerumque morbus sponte, sine causa nota, evolvitur, interdum vero laesiones externae ictus, lapsus, contusio, fractura ossium

59) Wardrop l. c. p. 176.

morbum antecedebant. — Morbi universales arthritis, rheumatismus, scrophulae, quo modo ad eum gignendum suam conferant symbolam, prorsus latet, quum homines non solum debiliora, praesertimque scrophulosa, sed sani etiam ab eo corripiantur [60]. — De causa proxima morbi opiniones adhuc quam maxime sunt variae. — Alii scriptores eam nihil nisi morbum esse scrophulosum, syphiliticumve larvatum, contendunt; — quam sententiam medicamentorum antiscrophulosorum ac antisyphiliticorum niti putant efficacia. — Quae vero medicamenta, si prospero quoque gaudeant successu, morbum scrophulosae, syphiliticaeve esse indolis, minime probant; contra illum enim morbum nulla sunt medicamenta specifica ac medicamentorum antiscrophulosorum plurimis vires sunt fortiter resolventes, hydrargyrumque praesertim efficacissimum est contra omnes morbos qualitativos medicamentum. — Sed quod plurimum est considerandum nullus huc usque innotuit casus, in quo hisce medicamentis fungus medullaris sit sanatus aegerque morti ereptus. —

Wardrop et Maunoir morbum morbosam esse putant succi nervei mutationem vel effusionem substantiae nervosae vel mutationem organorum in massam cerebralem. — Hancce arripere hypothesin morbi inducti sunt mutationibus in oculo, quippe qui in hoc semper oriatur in retina. — Wardrop vero

60) Maunoir. l. c. p. 14.

enarrat casum, in quo corporis vitrei partem mutatam viderit in massam fungo medullari similem, salva cum ceteris oculi partibus retina. — Itaque sicut et casus alii ab aliis ortus erat oculi partibus, ipsius ipse quoque refutat opinionem. — Praeterea Maunoir, ut sua efficacior evadat argumentatio, in casibus quibusdam externorum membrorum nervos in substantiam medullarem mutatos fuisse dicit; attamen magni membrorum externorum nervi in sectionibus quam saepissime haud mutati inveniebantur; quod si non, nil aliud ac eo concludere licet, quam substantiam nervosam sicut quodvis aliud organon massa fungosa amoveri vel in eam commutari posse, sicut a Walthero satis est probatum. — Huc accedit, quod morbosae mutationes formationum normalium repetitiones mechanico tantum modo, pressione e. g. noceant in fungo vero universalis semper est passio. — Praeterea nervi exigua tantum reproductionis gaudent facultate, quam magno gradu habere eos necesse esset, ut tumores enormes in membris saepe externis atque in organis internis inventi, e vera formari possint substantia nervosa. — Itaque Meckelii sententia scriptorumque plurimorum fungum medullarum morbum esse dyscrasia universali et genitam et servatam, quae in omnibus fere partibus oriri possit, minime vero formationis normalis repetitionem omnibus aliis mihi videtur praeferenda. —

§. 13.

Prognosis.

Prognosis semper est pessima. Morbus enim et naturae demandatus et medicamentis externis internisve oppugnatus exitum praebet lethalem. — Et quoad casus istos, in quibus sanationem assequutam fuisse, contenditur, an fungi fuissent veri, in dubitationem venit. — Tempus vero, in quo mors sequitur, certe non est praefiniendum; tamen plerumque fungus medullaris ocius exitum habet lethalem, quam cancer. —

§. 14.

Cura.

De hujus morbi tractatione, quum ars nil valeat, pauca tantum dicenda sunt. — Cauteria potentissima, hydrargyrum praecipit. rub., hydrarg. muriat. corros., butyr. antimon., acida concentrata etc. contra eum sunt adhibita, minime vero excrescentiae fungosae delitioni sed incremento potius faverunt. — Post exstirpationem massae morbosae serius ocius aut in sede morbi priore e vulnere adhuc aperto, aut e cicatrice, fungosae iterum erumpunt excrescentiae, aut alia morbo corripiuntur organa; exitusque morbi lethalis plerumque festinari videtur. — Successus, si tota, in quibus morbi sedes, amovebantur membra, melior non erat. — Contra fungum medullarem sedem in organis internis habentem ne minimum quidem pollet ars. — Quare aegrum fato tradere quae-

ritur, anne melius sit factu, quam operationem suscipere, quae dolores quidem, utilitatem vero nunquam promet aegro. — Morbus, si jam increverit, glandulae lymphaticae, si jam tumefactae sint, si organa jam affecta esse interna conjectura sequi liceat, operationem esse vanam, omnes consentiunt. — Quare etiam in primo ejus periodo esse faciendam, isti qui favent, contendunt. — Ita priusquam excrescentia morbosa cameram impleverit posticam exstirpare bulbum oculi suadet Wardrop; tumorque, si appareat in extremitatibus externis suspicionem movens, hoc inciso, ac textura ejus explorata, fungo medullari invento vero membrum statim amputare totum; simili modo et in fungo agendum esse testium. — Operatio vero, quamquam unicum nobis sit contra hunc morbum medicamentum efficax; hoc in periodo tamen raro curae sese committet aeger, morbusque facile manebit incognitus aut aeger parentesve periculum haud suspicantes, operationem raro permittent; praeterea, et verisimilitudo deesse videtur, successum fore prosperum, passio cum non est localis sed in constitutione radicans, quumque membrorum, quae morbus aggressus erat, ante glandularum affectionem lymphaticarum, massae morbosae regenerationi amputatione non semper occursum est. — Cura radicalis dispositionis tantum fungosae amotione fieri potest. — Quod cum efficere, saltem cum certitudine, nunquam promittere possumus, et operationis successum, ambiguum semper, ac plerumque adversum

esse, necesse est, medico nil nisi cura restat palliativa, dolores aegri ut leniat vitamque ejus reddat tolerabilem.

Nuperrime Dzondi fungum medullarem magnum, ejusque funestos effectus in aegroto viginti annorum, usu arsenici albi interno per annum et quod excurrit, repressit. De exitu curae nondum constat cum aegrotus illo remedio per intervalla uti adhuc pergat.

Historiae morbi.

I.

C. B. puella annos nata viginti duos mensi Octobri aegra Halas venit. — Inde ex pubertatis annis quam saepissime dolores querebatur in abdomine, periodice apparentes ac evanescentes. — Macida erat ac pallida, menses fuerunt parcae, irregulares, interdum retentae. — Medici dolores ejus taeniae debere putantantes, varia adhibuerant medicamenta, quae omnia prospero caruerant successu. — Ex decem mensibus, quum venter aegrae perquam fuisset tumefactus, graviditatis exorta erat suspicio, eoque magis, cum per annum sponsa esset juvenis, ceteroquin honesti. — Innocentiae confidens medicorum explorationibus et externis et internis sese praebuerat virgo, quibus vero opinio eorum minime evanuerat, immo creverat. — Quum hic venisset, quam maxime erat macida, vespere febre laborat lenta, ceterum omnes fere secundum re-

gulas exercebantur functiones; attamen alvus erat tarda, menstruatio ex decem mensibus nulla. — Venter erat tumefactus et majore quidem gradu, quam in ultimo graviditatis mense esse solet primiparae. — Per integumenta abdominis tenuia in toto ejus ambitu tumor durus, in aequalis firmusque nulloque modo movendus luculenter sentiri poterat. — In aliis locis tumor pressiones externas non patiebatur, interdum in eo dolores habebat, nulla excitatos causa externa. — Foetus partes sentiri non poterant, ita et in tumore nunquam motus speciem aegra senserat; fluctuationis vero nulla aderant vestigia. — In exploratione interna fundus vaginae posticus tumore supra eum sito, capitisque magnitudinem aequante infantis detrusus atque extensus inveniebatur. — Forsan priores medici hancce tumoris partem caput esse infantis putaverant. — Portio vaginalis magna tantum cum difficultate in anteriore fundo vaginae adtingenda, quum tumore postice et sursum perquam erat detrusa. — Attamen portio vaginalis luculenter sentiebatur, orificiumque rimam ostendebat transversam. — His apertis cel. Krukenbergius certo conclusit, hic nullam adesse graviditatem, sed tumorem irregularem in abdomine, hoc extendentem, fundumque vaginae posticum detrudentem ac marasmum efficientem. — Glandulae lymphaticae non erant tumefactae; in nulla quoque alia parte corporis formatio abnormis detegi poterat. — De indole tumoris nil certi affirmari poterat. — Applicatio hirudinum in regionem tumoris

ac frictiones linimenti vocat. camphor. cum opio mixti aegrae dolores liniebant, eosque amovebant. — Interne adhibebantur medicamenta leniter evacuantia cum antispasmodicis amarisque. — Tumore vero minime imminuto, marasmus augebatur in dies. — Novembris fine extremitates inferiores oedematosae fiebant, viribusque magis magisque lapsis, aegra die Novembris XXX. diem supremum obiit.

Sectio.

In cavo abdominis ventriculus ac omnia intestina, recto excepto, scrobiculo cordis erant admota. — Tota ceteri abdominis pars tumore eminente magno, flavido - albo partim laevi, partim gibboso erat impeta, qui multis in locis cum interna integumentorum abdominalium pagina, cum omento magno ac in aliis cum externa intestinorum superficie erat concretus. — Quarum vero concretionum plurimae facile separari poterant, inferne concretiones arctiores aderant cum ovariis, cum utero nullae. — Tumor in aperturam pelvis inferiorem eminebat, globuli instar, pugnum magnitudine aequantis. — Tumoris exstirpati forma erat rotundiuscula, decem pollices longitudine aequabat, decem latitudine, novemque crassitudine, pondere vero libras viginti et unam ponderis civilis. — Superficies superior erat splendens, eminentiis gibbosis parvis distincta, in pluribus locis sulcis in quorum multis vasa erant extensa ac hydatides magnitudine nucum juglandum. — Superficies interna sectione nudata massam monstrabat molliusculam ce-

rebri substantiae similem, quamvis aliquantulum compactiorem, habitus flavidi, vasis multis perreptatum magni luminis. — In medio tumoris secti cavum erat longiusculum, longuitudine sex circa pollices, latitudine pollices duas cum dimidia aequans, minime vero altum, cui massa inerat gelatinosa, rubicunda, tremula. — In aliis quoque locis plura secando inveniebantur cava parva massa simili impleta. — Praeterea et omento parvo peritonaeo ac superficiei sinistrae inferiori diaphragmatis plures minores adhaerebant tumores massa simili constantes et racemose intense conjuncti ac globulis rotundiusculis constituti, coloris plerumque et interne et externe bruneo-rubicundi, atque e massa constantes tumoris magni molliori substantiaeque cerebri magis simili. — Intestina omnia cetera erant sana; parietes tubi intestinalis, crassiores quam in statu normali; lien, heparque erant normalia, uterus sanus, virgineusque; in fundo cavi abdominis aquae flavidae erat aliquantulum. — Cavum thoracis nullam praebuit anomaliam. — Pericardio tantum quatuor circa unciae aquae flavidae inerant; caput aperiri non admissum.

II.

M. F. mulier annos nata quinquaginta sex, in prioribus semper sana, initio mensis Augusti anni antecedentis aegra in clinico medico nuntiebatur. — Tunc temporis organorum digestioni inservientium turbationes questa est, e sex ferme mensibus coeptas

ac huc usque magis magisque auctas; appetitus nempe defectum, gustumque amarum, aut vapidum, alvi solutionem irregularem saepius praesertim obstructiones. — Una dolores aderant in abdomine quam plurime in regione epigastrica finiti, manum prementem sine dolore haut ferente. — Obtusi esse solebant ac prementes, obstructione perseverante aucti, leniores, priusquam haec amota esset, non fiebant. — Tunc aegra melius sese habebat, mox vero praesertim victus ratione neglecta, iterum vehementiores fiebant. — Ventriculus perquam erat sensibilis ita, ut lenissimus ne tolleraret quidem cibus. — Praeterea dolores querebatur capitis, ructus, sensum oppletionis, doloresque in hypochondriis, lassitudinem dedolationemque; — ultimo tempore erat macida. — Ceterorum organorum functiones e norma exercebantur. — Hirudinum applicatione in regione epigastrica medicamentis evacuantibus ac antispasmodicis dolores initio quidem minuebantur; abdomen vero tensum semper manebat ac tumidum atque exploratione per integumenta abdominis laxa tumor inveniebatur, cujus superficies non plana sed gibbosa erat atque a curvatura dextra ad sinistram usque sese extendere ac in loco latissimo, paullulum super umbilicum, pollicem unum cum dimidio diametro aequare videbatur. — Propter celerem tumoris originem (quem enim sese evoluisse credebatur, quum antea nullum ejus apparuisset vestigium) propter obstructionem perseverantem et vomitum et quoniam tumor saepe mutabat for-

mam initio faecium adesse accumulationem credebatur; quare clysmata, mixturae oleosae cum aliis medicamentis purgantibus commendabantur. — Quamquam plures tantum iis efficiebantur alvi evacuationes, aquosas tantum, nullas vero duras faeces referentes, tumor minime minuebatur sed augebatur; molestiae in dies exasperabant, aegra sensationem querebatur globuli in oesophago, deglutionem difficilem, aliaque symptomata spasmodica. Abdomen magis magisque tumidum fiebat dolebatque; nullo vero loco fluctuatio sentiri poterat. — Nunc in aperto erat, morbum tumore abdominis morboso effici, de cujus vero natura nil certe dici potuit. — Frictiones nunc adhibebantur ex unguento mercur. cum opio, postea vero ex oleo tantum hyosciami; — interne medicamenta antispastica cum excitantibus. — Sed vires magis collabebantur; abdominis tumor increscebat, aegra perpetim laborabat insomniis, postremo nil ferme deglutire poterat, tandemque tricessimo obiebat supremum Augusti.

Sectio.

In cavo thoracis pulmones adhaerebant; quoad cetera sani erant, sicut et trachea, cor, pharynx, et oesophagus; in superficie diaphragmatis superiore passim tumores aderant fungosi, ovi gallinacei magnitudinis, iis in cavo abdominis similes. — In cavo penitonaei plures erant mensurae aquae sanguineae; cutis tubi intestinalis serosa peritoneamque habitum referebant brunneum, atrum, secreto sicut videbatur origi-

nem debentem pigmento. — Praeterea permulti inveniebantur fungi medullares in cavo abdominis pelvisque; maximus eorum omento magno inhaerebat, inter ventriculum ac colon transversum, inter hepar etiam, lienem, pancreatemque penetrabat ita, ut eo conjuncta essent haec intestina. — Praeterea excrescentiae fungosae singulares majores minoresve in superficie hepatis, lienis, ventriculi, tubi intestinalis ac superficie diaphragmatis inferiori. — Plures quoque parenchymati hepatis lienisque inerant, ovorum palumbarium vel gallinacium magnitudine. —

Fungi in superficie plani non erant sed tuberosi, racemosi, coloris rubicundo-albidi, substantiaeque mollis pulposaeque ita, ut substantiae cerebri essent simillimi. — Ita etiam massarum sectarum erat textura interna. — Attamen duae hic cognoscendae erant substantiae, quarum alia albior duriorque aliam molliorem puri crasso similem ac rubicundam circumdabat, cava formans propria, quibus alia inerat digito facile amovenda. — Fungi organa plerumque firmiter, iis nexi, intrabant, ita ut ab illis illaesa substantia secerni non possent; — partim vero laxius iis inhaerebant, ita ut lenitèr jam tactu laberentur. — Organorum cavi pelvis substantia, vesicae, uteri, ovariorumque sana erat; inter symphysin vero ossium pubis ac vesicam, inter hanc uterumque, ac circa ovaria massae fungosae majores accumulatae erant; in renibus nil morbosi obviam venit; caput aperiri non licitum.

CURRICULUM VITAE.

Ego Fridericus Kercksig, natus Luedenschedae, Guestphalorum, anno MDCCCIV; *patre Frideric. Degenhardo Kercksig, medicinae et chirurgiae doctore, matre e gente Voswinkel. — Prima literarum rudimenta Luedenschedae Hagenaeque edoctus, postea per biennium Tremoniae gymnasium, quod floret Directore et Prof. Kuithanio frequentavi; quo tempore elapso ac examine maturitatis superato, Bonnam me contuli, ubi mense Octob. anni* MDCCCXXIII *a Augusti t. t. Rectore Magnifico in album academicum receptus fui. — Ibi his praeceptoribus usus sum: cel. Meyer anatomiam et artem cadavera secandi, cel. Weber osteologiam, cel. Nasse physiologiam, cel. Munchow physicam, cel. Nees v. Esenbeck botanicen, cel. Brandis logicam, cel. Bischoff chemiam, cel. Stein artem obstetriciam, cel. Walther chirurgiam et operationes chirurgicas mihi tradentibus. — Anno elapso ac dimidio Georgiam Augustam me contuli, illic pathologiam et therapiam generalem et specialem audivi cel. Himly, materiam medicam cel. Kraus, botanicen medicalem cel. Schrader, anthropologiam cel. Schulz, anatomiam comparatam ac physiologiam cel. Blumenbach, zoochemiam cel. Stromeyer, chirurgiam cel. Langenbeck praeceptoribus. — Clinico medico et chirurgico, duce Himly ac Langenbeck, auscultans interfui per annum dimidium. — Auctum-*

no anni MDCCCXXVI *Halas veni, ab Excell. Gerlacho, Rectore Magnifico, civibus Academiae Fridericianae Halensis adscriptus. — Exc. Krukenberg de pathologia et therapia speciali disserentem audivi, exc. Meckel de anatomia pathologica, cujus exercitationibus anatomicis interfui, exc. Schweigger-Seidel de chemia pharmaceutica. — Praeterea in praxi medica exc. Krukenberg per totum hoc tempus, exc. Dzondi per annum in praxi chirurgica me instituerunt. — Quibus meis praeceptoribus summe colendis et benevolis gratias ago, quas possum, maximas.*

THESES.

I.

Rheumatismus est sui generis inflammatio. —

II.

Inter febrem hecticam et phthisicam interest differentia. —

III.

Quo inferiorem gradum pars corporis obtinet, eo facilius ejusdem fit reproductio. —

IV.

Cordi vis psychica non est tribuenda.

V.

In somno et functiones et secretiones organorum sunt minutae. —

VI.

Vernix caseosa a foetu secernitur.

CAROLUS HENRICUS DZONDI

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTOR,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE PROFESSOR PUBL. ORD.
FAC. MEDICAE ASSESSOR ORD. ET H. T. DECANUS,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE FUNGO MEDULLARI

CANDIDATI MEDICINAE

FRIDERICI KERKSIG,

HAGENSIS,

PUBLICE DEFENDENDAM

SUMMOSQUE MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

A. D. XIX. MENS. APRIL. MDCCCXXVIII

SOLENNI RITU EI TRIBUENDOS

INDICIT.

INEST:
PATHOLOGIAE SYSTEMATIS SANGUIFERI
BREVIS ADUMBRATIO.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS SANGUIFERI
BREVIS ADUMBRATIO.

De organorum sanguiferorum et sanguinis pathologia hic separatim tractabitur.

A.

DE INFLAMMATIONE ORGANORUM SANGUIFERORUM.

I.

De natura et functione organorum sanguiferorum.

Systema sanguiferum constat e canalibus cavis cylindricis, qui truncis aliquot maioribus in corde radicantur et inde ramis, magnitudine sensim decrescentibus per totum corpus diffunduntur.

Tres igitur partes, e quibus conflatur, sunt: cor, arteriae et venae, quarum hae utraeque frequenter inter se, neutiquam vero arteriae cum venis, nisi per vasa capillaria communicant.

Cor musculus cavus est, cuius externa superficies membrana fibroso-serosa circumvestitur et in pericardium continuatur. Interna superficies membrana tegitur eadem qua vasa sanguifera in quae continuatur.

Vasa sanguifera e tribus membranis conflantur, quarum intima serosis seu synovialibus, media fibrosis, externa cellulosis similis est.

Utraque vasa, arteriae et venae extremis suis ramis in vasa capillaria seu *systema plasticum* transeunt.

Nervos accipiunt vasa et cor a medulla spinali et gangliis nervisque abdominalibus.

Venae resorbendi vi pollent.

Vasa regenerantur ex parte, novaque, ope inflammationis, gignuntur, v. c. in pseudomembranis.

II.

De varietate et divisione inflammationis organorum sanguiferorum.

Varia est affectio inflammatoria organorum sanguiferorum; et dividitur

1. Ratione *ambitus* in *universalem* et *partialem; illa* omnia organa sanguifera, cor, arterias et venas corripit, *hae* nonnisi alterum horum organorum aut partem eorum, v. c. cor, in carditite, arterias, venas, vel singulas arterias aut venas.

2. Ratione partium seu *tunicarum* vasa *constituentium* triplex est, aut membranae *interioris*, seroso-synovialis — aut *mediae* — fibrosa —, aut *extimae* — cellulosa —, aut omnium trium i. e. totius vasis. Prioris exemplum est arteriitis interna; alterius, arteriitis arthritica, aut traumatica, posterioris arteriitis externa v. c. ab ulcere contiguo. Totius exemplum est phlebitis a venaesectione.

3. Ratione *coniunctionis cum causa vel idiopathica* vel *sympathica* est, illa v. c. a. laesione, haec ab inflammatione organi contigui s. tunicae adiacentis oritur.

4. Ratione *gradus* est aut *inflammatio vera*, aut irritatio inflammatoria. Huius exemplum est, irritatio inflammatoria arteriarum a menstruatione cessante.

5. Ratione *decursus* aut *acuta* est, aut *chronica*.

6. Ratione *coniunctionis causarum* inter se vel *pura* est vel *complicata*, illa ab una tantum causa, e. gr. a laesione, hydrargyri abusu; haec a pluribus simul proficiscitur.

7. Ratione *partium* aut *systematum* aliorum simul affectorum, vel *simplex* est, vel composita, v. c. cum inflammatione membranarum fibrosarum musculorum, uti in phlegmatia alba.

8. Ratione *organorum*, est aut

Inflammatio cordis, *carditis* quae est
serosa interna, i. e. membranae internae;
— *cellularis* s. muscularis, i. e. substantiae muscularis cordis, v. c. a laesione;
— *fibrosa* i. e. membranae capsularis fibrobrosae, v. c. in scoria (rheumatismo) cordis;
— *serosa externa*, nimirum membranae extimae serosae cordis; in carditite quae hydropem pericardii sequelam habet;
— arteriarum, arteriitis;
— universalis;
— partialis;
— interioris, mediae, extimae membranae;
— venarum, phlebitis;
— universalis;
— partialis;
— intimae, mediae, extimae tunicae.

III.

De causis inflammationis organorum sanguiferorum.

Triplex est causarum disponentium et occasionalium inflammationis huius classis

1. *Mechanicae* internae et externae, v. c. laesiones, contusiones, vulnera, v. c. venaesectiones, commotiones cordis, extensiones violentae musculorum abdominalium, m. recti etc., ulcera, compressiones.

2. *Chemicae* et physicae, v. c. caustica, ignis, hydrargyri abusus, pus corruptum s. putridum.

3. *Dynamicae*, *corporeae* internae et externae, *psychicae*, v. c. suppressio et cessatio menstruationis, abusus spirituosorum et aromatum; morbi et stimuli morbosi metastatici, v. c. exanthema suppressa, scarlatinae, morbillorum, scabiei, refrigeria, nimia intentio virium corporis, contagia, miasmata et venena, — ira impotens, anxietas summa continua, desperatio etc.

IV.

De inflammatione organorum sanguiferorum.

Inflammatio organorum sanguiferorum, cordis, arteriarum et venarum absque inflammatione sanguinis adesse potest, et plerumque adesse solet.

Quando organa sanguifera inflammantur, aut una aut duae aut omnes tres tunicae, seu, quod idem est, tota organorum compages inflammari potest.

Cuivis tunicae organorum sanguiferorum, pro systematis cui adscribitur indole et natura, propria competit inflammatio, peculiaribus decurrens symptomatibus propriisque proventibus etc.

Quaelibet potest esse vel idiopathica vel sympathica; alteraque alterius esse causa, licet hoc non nisi raro et non nisi ob summam vehementiam locum habeat.

Omnium tunicarum inflammatio simul adesse potest, quod tum potissimum fieri solet, cum organa mechanice laeduntur.

Sermo hic erit de cuiuslibet tunicae inflammatione in specie et postea de ea, quae omnes simul corripit.

V.

De inflammatione acuta tunicae internae organorum sanguiferorum.

Interna cordis vasorumque tunica serosis aut synovialibus membranis similem esse, cognoscitur partim ex eius structura, partim e functione secernendi liquidi, synoviae seu sero similis, partim et potissimum e proventu in statu inflammato, nimirum lympha illa plastica, qua inflammatae tunicae intimae brevi tempore inter se concrescunt. Similis ergo inflammatio tunicae internae vasorum esse debet inflammationi systematis serosi, et revera est.

Tribus stadiis decurrere videtur, stadiis serosae inflammationis similibus, temporeque fere eodem?

Caeterum in genere praemonendum est, symptomata huius inflammationis nondum extra omnem dubitationis aleam posita esse, cum difficillime cognosci possit, utrum haec inflammatio simplex adsit, an utrum simul tunicae reliquae vasorum inflammatione correptae sint. Saepius vero idiopathica quam sympathica esse solet.

Stadium primum.

Symptomata inflammationis internae serosae organorum sanguiferorum:

1. *Cordis — carditis serosa interna —*

S. *localia:* sensus caloris, dolor mitis obtusus, interdum paululum urens, continuus, vibratio cordis, diastole incompleta, breviorque, systole subitanea et imperfecta, pulsus cordis frequens, durus, ingratus aegroto et interdum externe visibilis; interna superficies rubra, percussio pectoris, non abnormis?

S. *universalia:* febris seu sensus febrilis nullus, anxietas fere nulla, respiratio paulo oppressa, pulsus frequens, durus, contractus, quasi rotundus, arteria quippe sanguine

ob cordis imperfectam diastolen non satis repleta instar chordae contractae sese ostendit; facies mutata, tussis nulla, appetitus parum mutatus, sitis aucta, somnus valde inquietus;

2. *Arteriarum. Arteriitis serosa interna*

S. *localia:* calor et ingratus sensus in arteriis, nonnunquam dolor obtusus, urens, arteria tactu duriuscula, pulsus frequens, celer, durus, vibrans, interna superficies arteriarum rubicunda, dolor a trunco ad ramos progrediens.

S. *universalia:* calor naturalis paululum auctus, appetitus et digestio naturalis, sitis parum aucta, febris nulla, anxietas haud magna, pulsatio omnium arteriarum in extremis digitorum et dentium radicibus animadvertenda, venaesectione nequaquam mitigata, immo aucta; cutis calidior; facies subrubet, oculi splendent.

3. *Venarum. Phlebitis serosa, interna.*

S. *localia:* caloris et mitis, obtusi, nonnunquam urentis doloris sensus, venae ad tactum duriores et tumentes paululum, inflammatio a ramis versus truncum et cor progrediens, interna tunica rubicunda, motus membrorum impeditus.

S. *universalia:* calor naturalis auctus, coenaesthesis paululum mutata, paulo post, lenes motus febriles, cutis modo sicca, modo humida; appetitus suppressus, sitis aucta, somnus inquietus, pulsus frequens, durus! Omnia ista symptomata in affectione locali vasorum minoris vehementiae esse solent.

Tempus decursus primi stadii brevissimum et non nisi aliquot diebus, tribus ad septem? absolvi videtur.

Stadium secundum.

Eodem fere forsitan tempore absolvitur secundum stadium?

In secundo stadio cordis, arteriarum et venarum inflammatio hoc commune habet, quod symptomata vi crescant,

lympha spissa — falso pro pure habita — pseudo-membranaeque et coágula polyposa in cavis horum organorum gignantur, quae nonnunquam tantae molis sunt, ut transitum sanguinis difficiliorem reddant, quid? quod interdum prorsus impediant; inde varia nascuntur symptomata, v. c.

in *corde* palpitatio et anxietas aucta, pulsus irregularis, intermittens, modo pulsus aliquis fortior, modo aliquot pulsus debiliores, aucta cum quovis pulsu frequentia et imminuta vi; quae symptomata motu corporis graviora redduntur, et haud raro remittunt et paroxysmis fortioribus recurrunt. Praeterea symptomata *universalia* primi stadii vehementiora fiunt, novaque accedunt, v. c. motus febriles, nausea, vomitus, sudores, tussis, deglutitio dolorifica, anacarthasis cardiaca, facies deformis etc.; ad quae, si universa cordis substantia simul corripitur, alia praeterea accedunt signa. cfr. infra.

in arteriis, pulsus vibrans, in locali inflammatione durior supra eam, debilior infra eam; tussis periodica, sputa, pituitosa aut paululum cruenta, respiratio gravior et sonantior.

in venis coagula lymphatica nonnunquam canales tantopere replent, et quasi farciunt, ut non modo omnem sanguinis transitum prorsus impediant, verum etiam externe tactu instar funiculorum duriorum appareant, caeterum symptomata febris nervosae seu typhi magis sese manifestant.

Stadium tertium.

Stadium tertium non nisi in iis observari potest inflammationibus, quae neque arte maturius extinguntur, neque nimia pollent vehementia, alias sub finem secundi aut initium tertii stadii lethales fieri solent.

In hoc igitur stadio symptomata aut decrescunt vi et numero, crisisque salutaris per cutem et urinam, sudore, et sedimentis lymphaticis, floccosis etc. subsequitur; aut in

chronica mala abit, quae potissimum a polyposis coagulis proficiscuntur per inflammationem genitis, qualia sunt v. c.

in corde polypi, et turbationes inde oriundae, pulsus irregulares, circulus sanguinis impeditus, et per accessus prorsus interruptus, affectiones spasticae, anxietas, respiratio turbata, asthma, potissimum motu, ascensu scalarum etc., auctum, lypothymiae, asphyxiae, morsque subita.

in arteriis pulsus irregulares, obturationes, coarctationes, concretiones et inde nata totalis arteriarum resorptio pulsusque cessatio, torporque et alia ex affluxu sanguinis interrupto oriunda incommoda.

in venis obstructiones et concretiones. Dilatationes s. varices et aneurismata ab hac inflammatione non nisi tum gignuntur, cum ad tunicam mediam simul transit.

Praeterea haec inflammatio in omnibus stadiis chronica fieri potest, tumque iis symptomatibus insignitur, quae illi stadio propria sunt, in quo chronicam indolem induit.

VI.

De inflammatione acuta tunicae mediae seu fibrosae organorum sanguiferorum.

Haec inflammatio raro idiopathica, saepius sympathica esse solet. Idiopathica a laesione et scoricis stimulis, sympathica ab inflammatione tunicae internae, externae et membranarum fibrosarum vicinarum, v. c. musculorum oritur, v. c. in phlegmatia alba.

Sermo nobis hic est de idiopathica tunicae mediae inflammatione et irritatione inflammatoria.

Tempus decursus acuti huius inflammationis incertum esse videtur?

Cum tunicae vasorum mediae fibrosae indolis sint, patet symptomata inflammationis earum fibrosae inflammationis fore similes.

Stadium primum.

In prima periodo organa sanguifera, cor, arteriae et venae haec *symptomata communia* habent, *localia:*

Dolorem; qui fere semper acerbus esse solet, pungens, lancinans, urens, instar ferri candentis per cor et vasa trenseuntis, vagus, remittens, haud raro prorsus intermittens, per paroxysmos recurrens, locum mutans;

Calorem urentem ingratissimum, organa pervadentem.

Tumorem cum duritie, nequaquam in corde propter situm occultum, in arteriis vero et tactu et oculis animadvertendum, quare turgent in arthritide dura ad tactum vasa.

S. *universalia* levioris febrilis irritationis scoricae, raro gravioris esse solent, cum doloribus vagis artuum, horripilationibus, cutis calore sicco aut sudore, urina nubeculam suspensam ostendit, etc. Praeterea in specie

in corde palpitatio quam maxime molesta et dolorem acerbum faciens, qui manuum impositione et levi compressione mitigatur, venaesectione vero nequaquam, nisi forte interdum ad breve tempus; animi perturbationibus, cutis exhalatione suppressa, atmosphaerae humiditate augetur, et quando silet, revocatur; tussis spastica saepe non adest; respiratio nonnunquam suppressa, pulsus frequens, durus, parvus, vibrans, intermittens, anxietas summa; subito omnia symptomata pausam breviorem aut longiorem faciunt; subitoque omnia magno tumultu irruunt.

in arteriis pulsus vibrans, durus, parvus, frequens, celer.

in venis tumor albus nonnunquam subrubens telae cellulosae adiacentis et cutis.

Caeterum saepissime in hoc stadio chronicam indolem induit et non nisi raro in secundum stadium transit in nostris scilicet terris, saepius in Magna Britannia.

Stadium secundum.

Cum in secundum stadium transit haec inflammatio, — quod raro et non nisi ob maioris vehementiae gradum fieri solet — contiguas simul internas et externas vasorum tunicas, cordisque substantiam corripit, tum symptomatibus compositis inflammationis istarum tunicarum et systematum insignitur, — quae conferas loco, quo de iis disseritur. —

Praeterea in ipsis his tunicis haec potissimum symptomata observantur communia:

Dilatantur et *amplificantur* tunicae et cum iis organa et canales sanguiferi, in corde eae potissimum partes quae originem vasorum maiorum, inprimis aortae praebent; in arteriis et venis ea praecipue loca, in quibus a recta linea deflectunt aut motu membrorum saepe flectuntur, v. c. in regione axillae, in genu etc., inde aneurismatum et varicum eorumque cirsorum primae origines nascuntur, qui in vasis capillaribus conspiciuntur et modo arteriosae, modo venosae indolis sunt.

Corrugantur, *coarctantur* et prorsus concrescunt in locis iis quae praeprimis affecta sunt; quae atresiae in omnibus partibus et vasis, ipsaque in Aorta reperiuntur.

Indurescunt et *crassescunt*, ita ut venarum lumina instar arteriarum aperta tunicaeque aeque crassae appareant.

Interdum *lympha* in externa vasorum superficie et post laesiones *pus* in vulneribus vasorum colligitur. Praeterea

in corde inflammatio, ad extimam serosam tunicam nonnunquam transit, signaque serosae inflammationis simul animadvertuntur. cfr. infra.

Caeterum tempus decursus huius stadii incerti ambitus est.

Stadium tertium.

In tertio stadio haec inflammatio, nisi morte finitur, alias simul sibi associatur inflammationes et morbos, sequelasque varias infra describendas generat, aut sanatur. De hoc faustiore exitu solo hic brevibus dicam.

Decrescunt symptomata omnia inflammatoria, dolores mitescunt et prorsus sensim disparent, reditque libera artuum mobilitas. Crisis fere semper sudore fieri solet profusiore, nonnunquam gravi acidoque odore foetens, nonnunquam prorsus naturali.

Urina sedimentum rubicundum pulvereum cum mucilagine demittit.

Temporis ambitus huius stadii aliquot circiter diebus describi videtur?

Caeterum in omnibus stadiis haec inflammatio facillime chronica fieri et per longum tempus, menses et annos durare solet. Symptomatibus iisdem fere conspicua.

VII.

De inflammatione acuta tunicae extimae organorum sanguiferorum.

Differt indoles et natura extimae tunicae cordis ab ea, quae vasorum est; in his nimirum cellulosa, in illo serosa est, quare de utraque singulatim dicendum est.

1. De inflammatione extimae tunicae serosae cordis, carditite serosa.

Haec inflammatio in genere prorsus serosa systematis inflammationibus similis est, iisdemque symptomatibus, proventibus, decursu et exitu insignitur. Quare hic non nisi de iis signis, quae cordis inflammationi in specie competunt, sermo erit.

Stadium primum.

Symptomata primi stadii inflammationis *primariae* serosae externae cordis mitissima esse solent, nequaquam vero *sympathicae* i. e. eius quae ab inflammatione membranae fibrosae cordis proficiscitur et cum ea coniuncta est.

Dolor obtusus, continuus, calor ingratus, vibratio modica, diastole non prorsus perfecta, pulsus frequentes, duriusculi, non satis pleni, anxietas praeter sensum ingratum nulla, nec nisi leves motus febriles. Quodsi pericardii membrana serosa simul corripitur, quod facillime et plerumque fieri solet, symptomata paulo fortiora sunt. Caeterum hac stadium ob mitem rerum faciem saepe negligitur; nisi in sympathica violentioris indolis fuerit.

Temporis spatium huius periodi aliquot — tribus? — diebus circumscribitur.

Stadium secundum.

Praeter symptomata serosae inflammationi propria, ab iis primi stadia parum diversa, pro re nata varia in corde animadvertuntur.

Quodsi lympha plastica exsudatur et totius cordis superficies cum pericardio concrescit, pulsatio minus exacta, fortis, vibrans, stridens, et irregularis sub ipso sterno in scrobiculo cordis et sub costis lateris sinistri auribus et oculis percipi potest; systole enim cordis totum sinistrum thoracis latus fortiter contrahit cum diaphragmate ibi cum peri-

cardio et corde intime concreto; anxietas saepe magna et tensio ingratissima in regione cordis; interdum per paroxysmos anxietas cum gravissimis symptomatibus pulsu irregulari, tremulo, facie rubra et violacea, loquela interrupta aegrotum aggreditur etc.

In concretione partiali aut per ligamenta, omnia symptomata mitiora sunt.

Quodsi lympha aut serum circa cor in pericardio in hoc stadio colligitur, symptomata hydropis pericardii nascuntur.

Spatium huius stadii primo haud multum amplius esse videtur, nisi chronicam indolem adepta fuerit inflammatio, quod plerumque accidere solet.

Stadium tertium.

Stadium tertium huius inflammationis non nisi tum locum habet, cum per lympham plasticam cum pericardio non concrescit, sed lymphae liquidae parva quantitas secreta est.

Symptomata tum sensim mitigantur, lympha excreta resorbetur, urina sedimentum demittit, crisisque aliquot diebus absolvitur.

2. De inflammatione acuta tunicae externae vasorum sanguiferorum.

Haec inflammatio primaria potissimum laesionibus vasorum, secundaria ab inflammatione tunicae mediae vasorum aut partium contiguarum efficitur, et instar inflammationis cellulosae, iisdem symptomatibus, stadiis, proventibus et exitu decurrit; cfr. hoc systema.

In secundo nimirum stadio pus secernitur, quod in tertio aut exitum sibi parit per cutem vel sanam vel laesam, aut resorbetur. In hoc stadio cicatrix vulnerum vasorum formatur.

Quando in aneurismate interna et media tunica rumpuntur, haec, inflammatione fortior et crassior facta, per longum saepe tempus sanguinem continet circuloque eius praesidio est.

Spatium decursus inflammationis cellulosae, modo longius, modo brevius esse solet.

VIII.

De inflammatione omnium tunicarum organorum sanguiferorum.

Nascitur haec inflammatio vel primario a laesionibus, vel secundario dum ab una tunica ad caeteras transit.

Apparet, hanc toties compagis organorum sanguiferorum inflammationem omnia symptomata trium membranarum communia simul ostendere, eaque de causa maioris vehementiae characterem prae se ferre.

In *corde* potissimum ipsa substantia muscularis simul afficitur, inde fit, ut pulsus distinctus prorsus fere dispareat, ac non nisi cardiotromos, cordis tremor, undulatio, aut pulsus obscurus, frequentissimus, cum summa anxietate, animi deliquiis, tussi et sputis cardiacis, dolore summo premente et distendente, facie deformi, oculis torvis, deliriis etc. animadvertantur.

In corde, arteriis et venis inde amplificationes et multa alia incommoda, morsque subitanea oriuntur.

In venis symptomata typhi acuti simul cum inflammatoriis localibus sese coniungunt, exitumque funestum brevi minitantur.

Irritatio inflammatoria organorum sanguiferorum, tunicarumque singularum eorum, symptomata primi stadii tantummodo ostendit, nec ultro progreditur.

IX.

De sequelis inflammationis organorum sanguiferorum.

Variae sequelae inflammationes organorum sanguiferorum habent, quae vel in ipso eorum parenchymate eiusque mutatione morbosa, vel in cavis eorum reperiuntur. Huc pertinent

1. *Amplificatio*, seu volumen auctum *(Vergröfserung)* v. c. cordis; hypertrophia, tunicarum vasorum potissimum venarum, etc.

2. *Dilatationes (Erweiterung)* cordis venticulorum ostiorum vasorum maiorum, et arteriarum — *aneurismata* —; venarum — *varices* —; extremitatum vasorum sanguiferorum in coniunctione cum vasis capillaribus, tum arteriarum — *cirsi arteriosi* *) —; tum venarum — *cirsi venosi* — —.

3. *Coarctationes* et *concretiones*, v. c. in cordis ventriculis, ostiis vasorum maiorum valvularum, arteriarum et venarum.

4. *Indurationes* in corde, pericardio et vasis.

5. *Mollities* et *marcor* organorum sanguiferorum et inde oriunda ruptio.

6. *Tumores et excrescentiae* in cordis et vasorum superficie externa et interna, v. c. verrucae carneae in aorta (obs. auctor.).

7. *Polyposa concrementa* variae magnitudinis et formae, pseudomembranae, quibus canales interdum prorsus obturantur.

8. *Mutationes in osseam substantiam*, v. c. in corde, in arteriis et venis variis v. c. cordis etc.

---

*) Ii tumores qui ab aliis angiectasiae a me Trichocirsi nuncupati fuerunt, adaequatius forsan *cirsos arteriosos* et *venosos* appellaveris.

9. *Hydrops* v. c. pericardii, pectoris, et aliae variae sequelae, v. c. obesitas, angina pectoris etc.

B.
DE INFLAMMATIONE SANGUINIS.

X.
De sanguinis natura et dignitate.

Sanguis est liquor rubicundus vi vitali pollens cordis et vasorum ope in corpore circulans, succos nutrientes aeque ac partes corporis resorptas et eiiciendas homogenea ratione mixtas continet.

E venis missus in halitum ordorum, serum et cruorem secedit.

Sanguis e pulmonibus redux ad instaurandum corpus idoneus et rubicundior per arterias ad vasa capillaria = systema plasticum — fertur, cuius ope nutritio corporis, se- et excretio variorum humorum perficitur; parsque eius cum resorptis materiis per venas colore ex atro rubente una cum liquore vasorum lymphaticorum ad cor redux, huius contractione ad pulmones fertur, in quibus materias non amplius utiles exhalat, principio aethereo impregnatus per cor in omnes partes corporis revehitur.

Licet venae resorbeant, maxima tamen pars humorum nutrientium et partium corporis resorptarum, ope systematis lymphatici in sanguinis circulum invehitur.

XI.
De varietate et divisione inflammationis sanguinis.

Licet tam varia, quam organorum sanguiferorum inflammatio, sanguinis haudquaquam esse solet, sequentes tamen species iure distinguuntur:

1. Ratione *causae* vel *quantitativa* vel *qualitativa* est, huius exemplum est inflammatio a contagio v. c. variolarum, illius inflammatio a nimia virium intentione orta.

2. Ratione *nexus cum causa*, aut *primaria* est, v. c. febris inflammatoria a commotione; vel *secundaria*, eadem febris a pneumonia genita.

3. Ratione *coniunctionis causae* alicuius *cum aliis*, aut *pura* aut *complicata* est, huius v. c. exemplum est febris inflammatoria ab ira et commotione orta.

4. Ratione *partium corporis simul affectarum*, aut *simplex* aut *composita* est, huius exemplum est febris inflammatoria cum inflammatione pulmonum, cordis, oculi, cerebri, exanthemata etc.

5. Ratione *decursus acuta* vel *chronica* est, illa legitimo tempore decurrit, haec ultro continuatur.

6. Ratione *gradus* aut *vera inflammatio* aut *irritatio inflammatoria* est, huius exemplum est ephemera inflammatoria etc.

XII.

De causis inflammationis sanguinis.

Causae *disponentes* sunt aetas iuvenilis, sexus masculinus, plethora universalis, atmosphaera sicca, calida, anni tempus, victus nutriens, potus excitans, medicamina irritantia, animi pathemata vehementiora, vitae genus, etc.

Causae *occasionales*.

1. *mechanicae* sunt laesiones, commotiones, lapsus, nimia virium artuumque intentio etc.

2. *chemicae*, ambustiones etc.

3. *dynamicae*, tum corporeae, tum psychicae, omnia ea momenta, quae inter disponentes causas enumeravimus, praeterea omnia ea, quae vim systematis sanguiferi augent et stimulant, porro ea, quae nervosum systema nimis irri-

tant, v. c. dolores acerbi continui; contagia, miasmata venena; animi motus, ira etc.

XIII.

De inflammatione acuta sanguinis.

Legitimus huius inflammationis acutae decursus per tria stadia ter septem dierum esse videtur.

Quodsi per stadia sua decurrit haec inflammatio, *febris inflammatoria* vulgo appellatur, nec ab ea natura et indole discrepat.

Haec inflammatio facile organa alia simul corripit, et vice versa ex organorum aliorum potissimum cerebri et pulmonum inflammatione oritur.

Irritatio inflammatoria a vera inflammatione eo differt, quod in primo stadio subsistit, eiusque modo signa ostendit.

Stadium primum.

Spatium huius stadii septem dierum esse videtur?

Symptomata universalia eadem fere sunt, quae febrem inflammatoriam simplicem comitari solent, nimirum: calor in toto corpore in dies auctus, respiratio non prorsus libera, cita, anhela et calida, pulsus pleni, fortes, interdum frequentiores et duri; cutis et potissimum facies turgore vitali maiori tumens et sanguine suffusa; oculi fulgent, et paululum rubent; labia et paulo post lingua quoque sicca et rubra, nec non nares; sitis aucta, appetitus suppressus, vires in dies magis fractae, artuumque lassitudo; somnus inquietus, in pueris somnolentia; urina rubra; alvus stipata, perspiratio parca, et alia. Verum sensus febrilis nullus, neque deliria, neque crusta inflammatoria in sanguine e venis misso, nisi sub finem huius stadii.

Symptomata localia pauca aut nulla, nisi in compositis; nonnunquam sanguinis e naribus stillatio, capitis gravedo aut dolor.

Stadium secundum.

Secundum stadium eodem fere temporis spatio absolvitur, quo primum.

In hoc stadio inflammatio semper ad cerebrum quoque transit, ac encephalitidis symptomata simul cum signis propriis sibi coniuncta ostendit.

Quare praeter crustam sanguinis inflammatoriam, febrem, typhomaniam, omnia vehementioris cerebri inflammationis symptomata, potissimum acutissimus capitis dolor, non secus ac compressi nimis cerebri, haemorrhagia narium, facies rubens et turgida, oculi rubicundi et fulgentes, deliria furibunda, vigiliae, insomnia terrifica, arteriae temporalis pulsatio, cordis vibratio aliaque primi stadii symptomata cum aucta vehementia.

Utrumque stadium nonnunquam funesto exitu corripitur.

Proventus huius stadii iidem sunt, qui encephalitidis et nervosae inflammationis simplicis, quando hoc systema simul corripitur, quod haud raro fieri solet.

Stadium tertium.

Nisi aut congestione sanguinis ad cerebrum infaustus, aut haemorrhagia solutari faustus exitus primis stadiis inflammatio haec terminata fuerit, tertium stadium eodem fere temporis spatio, quo priora decurrere solet.

In atrio huius stadii crisis salutaris plerumque haemorrhagia fieri, tumque universa symptomatum cohors sensim, disparere, et valetudo bona redire solet.

Simul et cutis profusi sudores, et alvi urinaeque deiectio critica, appetitus recurrens, roburque corporis sensim rediens conualescentiae appropinquantis grata signa apparent.

Chronicae inflammationis sanguinis signa eadem fere, verum multo mitiora esse, et compositas potissimum inflammationes comitari solent.

XIV.

Sequelae inflammationis sanguinis.

Inflammatio sanguinis potissimum tum sequelas varias habere solet, cum composita est, ac organa varia simul corripit, v. c. pulmones, hepar, intestina.

Caeterum coagula et polyposa concrementa in organis sanguiferis sequelae huic inflammationi propriae esse videntur.

Sed haec hactenus. Nunc indicenda sunt solennia inauguralia

VIRI PRAESTANTISSIMI ET DOCTISSIMI

FRIDERICI KERKSIG,

HAGENSIS,

qui de vitae et studiorum ratione in dissertatione sua exposuit.

Rite igitur absoluto examine, traditaque dissertatione De fungo medullari eaque comprobata et typis exscripta, in eo est ut publice eam defendat summosque Medicinae et Chirurgiae honores solenni ritu capessat. Quam solennitatem a. d. XIX. Mens. Aprilis p. a. institutam, ut Universitatis nostrae Curator illustrissimus, Prorector magnificus, Cancellarius summe venerabilis, Director perillustris, Collegae illustres, Urbisque et Dicasteriorum proceres gravissimi et consultissimi, commilitones ornatissimi litterarumque fautores omnium ordinum spectatissimi praesentia sua condecorare velint, humanissime oro rogoque.

Scribebam Halae a. d. XIX. April. MDCCCXXVIII.
